

immutando, addendo, aut detrahendo: etsi quae cantari nequeunt, clara, et intelligibili voce, ita distincte, lente, ac graviter legantur, ut ab omnibus facile percipiantur.

49 50 51 In hoc consilio habet Sacerdos benedicturus totam seriem rerum a se advertendarum, tum ante Benedictionem, tum in actu ipsius Benedictionis, unde aliquid aliud addere supervacaneum est. Unice dicam debere secum in Benedictionibus habere hunc Librum Ritualement, seu Missale, quia in ambobus istis Sacris voluminibus Benedictiones legitime cum proprio Ritu describuntur. Gavantus vero de *Benedict.* 19. addit, Missale esse magis manuale, et copiosum, atque obvium: Ego dico, magis amplum, et obvium esse Ritualement, imo et magis commodum. Quidquid sit, isti duo Libri unice debent esse Fontes Benedictionum Sacerdotalium in Ecclesia Romana Catholica faciendarum, non quidam alii liberuli, quorum usus periculo non caret, cum ab Ecclesia non sint approbati, quia fortasse nimium copiosi unde est quod Summus Pontifex nonnullos illorum de recenti prohibuerit, ut dictum fuit in Titulo 1. hujus Libri, §. 16.

§. VII. Caveat, ne Benedictionis causa, ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta: sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam.

52 53 54 Hoc idem innuit Gav. p. 4. t. 19. non enim convenit, Sacrum Altare in Mensam cauponae transmutare. Esculenta hic tantum notat Textus, prout sunt Ova, Panes, Agni Paschales, Fruges, et alia comestibilia: quibus addo potententa, prout Oleum, ob periculum effusionis, qua deturpetur Tobala. Sunt etiam alia, quae quamvis nec esculenta, nec potententa sint, attamen indecens videtur, quod super Altare collocentur, prout sunt Vestes, etiam Monialium benedicendae, Enses, Vexilla, Lapides ad usum Altaris, seu Petrae angularis, Campanulae, Candelae, Olivae, seu Palmae, Cineres, Sal, et similia, de quibus etiam mentio fit in *Act. Med. p. 4. Instr. general pro Benedictionibus.*

55 Pro his rebus igitur debet esse Mensa parata, loco commo, seu in Sacristia, seu prope Altare ad cornu Epistolae, ubi fieri debent Benedictiones; semper tamen pro ratione eorum, quae benedicuntur. *Acta ibid.* Plura de Benedictionibus habebis ex Sarnell. *Ep. Eccles. T. 3. Ep. 9.*

ORDO

AD FACIENDAM AQUAM BENEDICAM.

TITULUS DECIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

- 1 Quare prima Benedictio particularis sit illa Aquae lustralis?
- 2 In omnibus Benedictionibus Aqua lustralis adhibetur.
- 3 Benedictio haec attente debet fieri.
- 4 Quare quandoque Daemones non timeant Aquam lustralem?
- 5 In quo differant materia, et forma hujus Aquae?
- 6 Si benedicens sit aliqua censura innodatus, fit irregularis.
- 7 Quare dicatur Aqua lustralis?
- 8 Victimae in antiquis Sacrificiis aspergebantur hac Aqua.
- 9 Quinam fuerit inventor Aquae benedictae.
- 10 S. Matthaecus habetur pro vero auctore hujus benedictionis.
- 11 Paulus Maria Quartus diligenter scripsit de Aqua benedicta.
- 12 Alii Authores, qui de hac Aqua scripserunt.
- 13 Aqua benedicenda diebus Dominicis.
- 14 Die Dominico non debet omitti ista aspersio.
- 15 Aqua difficiliter remanet pura per octo dies.
- 16 In die Paschae et Pentecostes, ubi adsit fons Baptismalis, non benedicatur Aqua.
- 17 Potest haec Benedicere alio tempore.
- 18 Peccatis, cui incumbit renovatio Aquae, si haec ob ejus negligentiam putrescat.
- 19 Sal benedicendus debet esse naturalis.
- 20 Sal quare benedicatur priusquam Aqua?
- 21 Quartus nihil loquitur de Salis Benedictione.
- 22 Aqua debet esse naturalis, et munda.
- 23 Cum Aqua benedicta non licet extraneum liquorem miscere.
- 24 Nisi sit pauca quantitas Aquae fragrantis.
- 25 Si Aqua extranea esset multa, peccaret qui hoc faceret.
- 26 Dare Candelam non benedictam pro benedicta non est grave peccatum.
- 27 Loca Sacra conveniunt rei Sacrae.
- 28 Aqua potest ubique locorum benedicere.
- 29 Unica Benedictione an benedicere possint multi Fontes?
- 30 Minister debet accedere ad singulos pro immiscendo Sale.
- 31 An res benedicendae debeant esse sub oculis Ministri.
- 32 Stola violacea adhibenda est.
- 33 Nisi qui benedicat, debeat illico celebrare Missam.
- 34 Exorcismi non omnes absolute inchoantur.
- 35 Oremus, quare hic ponatur?

- 36 Quare exorcismi dirigantur ad res inanimatas?
- 37 Si adesset Praestigium in Aqua, conjurationes diriguntur ad Daemones.
- 38 Quare Orationes terminentur: *Per eum qui venturus est?*
- 39 Cruces in exorcismis bene efformandae.
- 40 Immixtio salis fit ter in modum Crucis.
- 41 Sal purificatur ab Aqua.
- 42 Scriptura Elisaei Prophetae.
- 43 Benedictio quid conferat materiae?
- 44 Aqua Fidelibus omnibus debet distribui.
- 45 Aqua potest benedici quocumque tempore.
- 46 Aspersio facienda a Celebrante ante Missam Parochialem.
- 47 Mos antiquus retinendi Aquam benedictam in domibus.
- 48 Aqua Baptismalis antiquitus custodiebatur in domibus.
- 49 Sed ante Chrismatis infusionem.
- 50 Aqua benedicta in domibus debet saepe renovari.
- 51 Virtutes hujus Aquae.
- 52 Ad cubile Fidelium servari solet.
- 53 Quare Olea Sacra custodiantur sub Clave?
- 54 Quare Aqua Benedicta palam exponatur?
- 55 Aqua Benedicta quaecumque maleficia dissolvit.

1 2 Generalibus ita expositis de Benedictionibus, succedunt Benedictiones in specie, quarum prima est illa Aquae lustralis, seu Benedictae, hac potissimum ratione, quia illa una cum signo Crucis utendum esse in omnibus fere Benedictionibus, praescribit Ecclesia, etiamsi res benedicenda fuerit prius Oleo Sacro inuncta, ut videre est in consecratione Calicis, et Patenae. Si itaque fieri volunt caeterae Benedictiones a Sacerdote necesse est, ut paratam prius habeat hanc Aquam benedictam, cum qua benedictiones suas expediat, ut patet ex ipso Rituali, in quo post Orationes, et Preces adhibitas in benedictionibus, semper subjungitur: *Deinde aspergat Aqua benedictae, etc.*

3 4 5 6 In hac benedictione omnem diligentiam, et attentionem adhibere debet Sacerdos, ut rite, et recte fiat: quandoque enim Daemones Aquam lustralem nequaquam timuisse dicuntur, quia non fuerat rite benedicta. Leo *Prae. Archiep.* p. 1. c. 6. n. 29. *in fine.* Verba itaque attente pronuncianda sunt pro forma hujus Benedictionis: in hoc enim differt materia a forma; quod si in forma aliquid deest, amplius forma non est: materia vero semper eadem manet, ex Philosopho, qui ait: *Remota aliqua parte materiae remanet materia, sed remota parte formae recedit forma,* Sarnell. *Ep. Eccl. T. 4. ep. 18.* Praeter diligentiam in adimplendis praescriptis a Rituali in hac Benedictione, debet Sacerdos cavere, ne sit aliqua censura innodatus quia si cum tali vinculo Benedictionem facere praesumeret, fieret irregularis, Corsett. *de Bened. in adden. num. 3.* qui citat Sylvest. et Polacc. p. 2. t. 7. n. 1. *in add.*

Antequam vero ad explicationem Textus deveniamus, necessarium ducco, ut nomen explicemus hujus Aquae, et quare *Lustralis* vocetur.

7 8 Ab antiquis, et quidem a Gentilium ritu ducitur haec Aqua, quae ideo *Lustralis* dicebatur, quia a Sacerdote, purificationis, causa aspergebatur super Victimam, et supra Populum Templi ingredientem; ideoque purgandi, seu expiandi vim habet haec vox. Hinc Ovid. 3. *de Pont. El. 2.*

Spargit Aqua captus Lustrali Graja Sacerdos.

9 10 Qui Ritus postea ab Ecclesia sanctificatus fuit, usque a ejus exordiis. nam (quidquid dicant nonnulli Authores, quod hujus Aquae benedictae inventor fuerit Alexander Papa I.) clare Marsilius Columna in sua *Hydragiologia* 2. c. 2. a n. 38. demonstrat, verum authorem debere cognosci S. Matthaem Apostolum. a quo deinde caeteri Apostoli, et subinde Episcopi suscepere, Durant. l. 2. c. 21.

11 De hujus Aquae origine, causis mysteriis, documentis virtute, et effectibus diffuse loquitur Quart. *Tit. de Benedict. simpl.* ideoque ad tam diligentem Scriptorem Lectores meos remitto, ne videar hic inutiliter repetere quae ab illo tam lulpulenter exposita sunt, in aureo ejus libello *de Benedictionibus.* Unice addam, Wicleff. et Walden. impie asseruisse, Aquae Benedictionem, quendam magicae artis usum esse, ex Bellarman. l. 3. *de cultu Sanctorum,* c. 3.

12 Scripsit insuper et multa scitu digna notavit de Aqua benedicta, Gavant. p. 4. tit. 19. *Multa Piscara* l. 1. sect. 4. cap. 6. n. 4. l. 2. sect. 2. cap. 1. n. 5. *Multa Corsett.* et fere omnes, qui de Sacramentis et Sacramentalibus pertractarunt, ut pote Gasal. *de vet. Sacr. rit. cap. 36.* et nuper Sarnellius Episcopus Vigiliens. in *Epist. Eccl. T. 4. Ep. 18.* Cardinalis Valerius in *Thes. piar. instit. pag. 273. c. 240.* ubi signanter effectus tum spirituales, tum corporales, ex B. Alexandri verbis enumerat. His dictis ad Textum, me confero.

§. I. Diebus Dominicis, et quodcumque opus fuerit, praeparato Sale, et Aqua munda benedicenda in Ecclesia, vel in Sacristia, Sacerdos cum superpelliceo, et stola violacea indutus, primo dicat *V. Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc.*

13 14 15 Adeo rigurosum est hoc Praeceptum de benedicenda Aqua diebus Dominicis, ut Gavantus d. p. 4. t. 19. *litt. a,* non renuerit scribere; numquam ommitti debere tali die hujusmodi aspersionem, et a priori benedictionem, in memoriam baptismi, qui in Dominica Paschatis solemniter celebra-

tur. *Microlog.* 41. *Rup. l. 7. cap. 28.* Circa quam obligationem Burcard. *l. 2. cap. 12.* et Casal. *d. cap. 36.* afferunt Canonem Concilii Nannetensis hujusmodi—*Omnibus diebus Dominicis, unusquisque Presbyter, in sua Ecclesia, ante Missarum solemnia, Aquam Benedictam faciat in Vase nitido, tanto mysterio convenienti, de qua Populus intrans aspergatur.* Ex quo apparet, quod non tantum fieri debet aspersio ex hac Aqua, sed etiam nova benedictio quolibet die Dominico, contra malam consuetudinem nonnullarum Ecclesiarum, etiam Cathedralium in quibus utique Aspersio fit, sed ex Aqua jam alias benedicta, quod a parte est contra ritum, qui praecipit hanc renovationem Aquae benedictae ad evitandam facilem ejus corruptionem, et immixtionem cum sordibus: pura enim difficile remanet Aqua extra suum fontem exposita per integram hebdomadam. Ultraquamquod haec renovatio Aquae suum habet mysterium, significando singulis diebus Dominicis memoriam Sacramenti baptismatis, *Quart. t. 3. dub. 4. num. 210.*

16 Excipiuntur tamen a praedicta Regula, Dominicae Resurrectionis, et Pentecostes, in quibus non benedicitur haec Aqua in Ecclesiis ubi adsit fons baptismalis, sed aspergitur Clerus, et Populus cum Aqua pridie benedicta in Fonte ad hunc finem reservata, ut clare loquitur *Missal. de Bened. Font. bapt.*

17 18 Potest etiam alio tempore benedici haec Aqua, prout notat textus noster, nempe *quandocumque opus fuerit*, scilicet infra hebdomadam, quando jam benedicta consumpta, vel putrefacta sit, praecipue tempore Aestivo. Et in hoc casu projici debet in Sacrarium alia Aqua, vel praecedentis hebdomadae, vel quae foetens jam sit. Quod si putrescat haec Aqua benedicta ob negligentiam Sacristae, vel ejus ad quem hoc pertinet, et non fiat statuto tempore talis benedictio, isti peccant venialiter contra reverentiam debitam rebus sacris, ob idecenciam, et aliqualem Populi offensam: quamvis haec Rubrica habeatur a nonnullis pro directiva, non vero praeeptiva, *Quart. ibidem, num. 210*

19 20 Sed ut de Sale dicamus. Iste sal debet esse naturalis, albus, si fieri potest, arens, non vero humidus, et insuper qualis a nobis descriptus fuit in Titulo *Ordinis Baptismi parvulorum*, §. 6. et in illo *de Sacris Oleis, et aliis requisitis ad Baptismum*, §. 8. Atque ideo iste Sal benedicitur ante Aquam, quia debet immisceri cum aqua in actu benedictionis, ideoque prius debet esse benedictus.

21 Miror tamen, quod alioquin diligentissimus Paulus Maria Quartus, qui de benedictionibus adeo luculenter scripsit, et praesertim de Aqua lustrali, nullam mentionem facit de Salis benedictione neque in actu baptismi, neque in actu conficien-

dae dictae Aquae lustralis, quia benedictio Salis, ut alibi diximus, duplex est: tunc enim loquuti fuimus de Sale inserviente ad baptismum, nunc vero de Sale adhibendo in conficienda Aqua benedicta: Sed significationes, et mysteria utrobique sunt eadem, unde ad praedicta loca videre est, quae jam diximus, et inservient ad explicationem Rubricae presentis.

22 23 24 Aqua porro quae benedicenda est, debet esse naturalis, sive e fonte, sive e fluvio, sive e puteo, sive e cisterna pluviali, dummodo sit pura, et munda, ob dignitatem rei Sacrae, ad quam inservire debet, et ne inquinat res, seu Personas; super quibus projicitur. Nec licitum est quidquam extranei liquoris miscere cum ista Aqua, nisi sit in parva quantitate, et ad decentiam congruus, veluti Aqua rosacea ob fragrantiam odoris, quia in hoc nulla apparet indecentia, et obtinuit tolerantiam in Ecclesia; quae tolerantia cum sit tacitus consensus, facit, ut Sacramentalia, quae pendent ex arbitrio Ecclesiae, non alterentur, ex *Quart. d. l. dub. 6. n. 211.*

25 26 Si vero tanta quantitas extranea, et non benedictae Aquae superaret Aquam benedictam, et ita exponeretur Aqua non benedicta pro benedicta, peccaret is, per quem talis immixtio fieret, sed tantum venialiter, ut notat idem *Quart. d. l. n. 212.* quia in hoc non apparet gravis irreverentia contra Religionem, nec grave damnum aliorum: sicuti nec graviter peccaret qui daret alteri Candelam non benedictam pro benedicta.

27 28 29 30 31 Loca praesignata ad faciendam istam Aquam benedictam sunt Ecclesia, vel Sacristia. De facto loca Sacra magis conveniunt rei Sacrae: sed nihilominus extendi potest haec Benedictio etiam ad domos privatas; ut in *Titulo de Sanctissimo Viatico* diximus, atque ideo potest haec Aqua ubique locorum benedici tum valide, tum licite, quia non est in superiori ordine rerum Sacrarum; cum sepiissime contingat, Aquam istam, licet benedictam, in terram cadere, quando illa asperguntur fideles, nec ulla adhibetur cautela ad impediendum, ne a pretereuntium teratur pedibus, *Quart. d. l. num. 212.* ubi curiosam quaestionem promovet *dub. 3. num. 209.* scilicet, Utrum unica Benedictione possint benedici plures fontes Aquae inter se distantes? et Respondet, posse valide, et licite benedici omnes Aquae fontes, qui sunt coram Sacerdote benedicente intra viginti passus: modo idem Minister post Orationes, vel exorcismos, accedat ad singulos quando facienda est mixtio Salis cum Aqua. Ratio est, quia sufficit praesentia moralis materiae, quae benedicitur coram Ministro, quae judicio prudentum salvatur intra viginti passus. Quae doctrina valet etiam ad respondendum illi dubio: An Res quaecumque benedicendae debeant esse praesentes Ministro, a quo fit Benedictio? Circa quae vide Quartum. *d. Sect. 2. dub. 4. n. 10.*

32 33 Sacerdotis esse hanc Benedictionem ex Concilio Nannetensi docet Gavantus. *p. 4. tit. 19. litt. b.* De Stola vero violacei coloris (qui color est moestitiae, et humilitatis) non currit semper regula: nam si Sacerdos benedicturum Aquam, illi-co celebraturus est Missam, debet super Albam adhibere stola-m Misse convenientem, tanquam pro initio ad Sacrificium. Si alius est, tunc violaceam adhibere debet, quia connectitur unice cum Ritu poenitentiali ad expianda peccata cum asper-sione Aquae lustralis, Gavant. *ib.*

§. II. Deinde absolute incipit Exorcismum Salis, etc.

34 35 36 37 Non omnes exorcismi absolute inchoantur, sed aliquibus anteponitur admonitio, seu indictio: *Oremus.* Cum haec vero Oratio non sit, non debet invitare Populum ad orandum, ideoque absolute incipit. In adjuratione aliquid petimus propter Deum: in Oratione vero aliquid a Deo peti-mus. In hoc loco, pro benedicendo Sale utitur Sacerdos, pri-mum exorcismo, seu adjuratione, et deinde Benedictione. Vide fusius Quart. *d. de Benedict. in genere, dub. 1. num. 18. 19.* ubi clara affertur Doctrina de exorcismis, et de omnibus quae ad rem praesentem faciunt, doctissima fit explicatio. Circa quod notabile est verba exorcismorum dirigi ad res inanimes, nempe ad Salem, Aquam, etc. ac si eadem obedire debeant conju-rationi, vel sensum verborum concipere, sed id non propter hoc fit: fit ad denotandum ipsam Adjurationem operaturam suum effectum in praedictis rebus, vel tanquam in subjectis, vel per ipsa, tanquam per instrumenta. Si adessent in Sale, vel Aqua aliqua praestigia, conjurationes diriguntur Daemioni occupanti illud corpus, ut effugiat, et sinat talem materiam operari in bonum Fidelium.

38 Porro Orationes quae recitantur super Aquam, finiunt: *Per eum qui venturus est judicare saeculum per ignem;* quia Diabolus timens Dei judicium, timet, et fugit, Rubeus *lib. 2. cap. 30. de Orat.*

39 Benedictiones, seu signa ✠ Crucis, quae in exorcismo ter, et in Benedictione bis fiunt, oportet, ut bene efformentur, et diligenter, ne videamur potius illudere tale signum, quam in utilem usum adhibere, ut supra diximus cum Corsett. *in Ti-tulo de Regulis generalibus Benedictionum.*

§. III. Exorcismus Aquae, et dicatur sine *Oremus, etc.*

Ad hunc locum faciunt singula, quae in antecedenti §. 2. diximus de exorcismis faciendis Sali ante Benedictionem Aquae.

§. IV. Hic mittat Sal in Aquam in modum Crucis, † dicens semel: *Commixtio Salis, et Aquae Pariter fiant, etc.*

40 41 42 In Rubricis Missalis Romani *de Benedictione Aquae lustralis,* additur, debere fieri hanc immixtionem ter in modum Crucis: quae sane Rubrica approbanda est: cum enim ter debeat fieri signum Crucis, cum manu, pugillo sal tenente, sequitur, ut ter quoque immixtio, sive immissio Salis fieri de-beat: Donec enim Sanctissimae Trinitatis nomen durat in sig-nis faciendis, durare debet etiam immixtio, ut in virtute Trini-tatis fiat Benedictio, et mixtio Chisti cum Populo, Gavant. *p. 4. t. 19. Rub. 10.* In hoc instanti Sale isto purificatur, et sa-natur Aqua, quemadmodum factum fuisse ab Elisaeo habemus, *ex 4. Regum 2. ubi Afferte mihi vas novum: accepit Vas, et posuit Aquam, et miscuit Sal dicens: Haec dicit Dominus: Sa-navi Aquas has, et non erit ultra in eis mors, neque sterilitas.*

§. V. Post Benedictionem Aquae Sacerdos, Dominicis diebus, antequam incipiat Missam, aspergit Altare, deinde se, et Ministros, ac Populum, prout in Missali praescribi-tur.

43 44 Cum Benedictio, uti forma, conferat Sanctitatem, efficaciam, et Divinam virtutem materiae, nempe Sali, et Aquae ut docet S. Ambros. *de his qui initiantur, cap. 31.* his verbis: *Aqua sine praedicatione Dominicae Crucis ad nullos usus fu-turae salutis est: cum vero fuerit salutaris Crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritualis lavacri, et populi tempo-ratur.* Hinc est ut fidelibus omnibus debeat distribui. Qua-re Concilium Nannetense allegatum a Casalio *d. c. 36.* haec praecipit: *Omnibus diebus Duminicis, unusquisque Praesby-ter, in sua Ecclesia, ante Missarum solemniam, Aquam Bene-dictam faciat, et Atrium ejusdem Ecclesiae cum Crucibus cir-cumeundo similiter aspergat, et pro Animabus ibidem quies-centibus oret.* Caetera vide in similis Rubricae expositione facta a Gavanto.

45 46 Alio quocumque tempore benedici potest haec

Aqua in forma privata: sed in illis Ecclesiis, in quibus non cantatur Missa, decens erit, ut in diebus Dominicis fiat Aquae aspersio a celebrante ante Missam Parochialem, quae habetur loco Missae conventualis: vel cum Pluviali si habetur, vel cum Stola super Albam sine manipulo, Castald. *lib. 2. sect. 2. cap. 1. Quart. n. 210.*

§. VI. Postea Christi fideles possunt de ipsa Aqua benedicta in Vasculis suis accipere, et secum deferre ad aspergendos Aegros, Domos, Agros, Vineas, et alia, et ad eam habendam in cubiculis suis, ut ea quotidie, et saepius aspergi possint.

47 Idem Concilium Nannetense, allegatum in antecedenti paragrapho, antiquitatem satis demonstrat hujus Ritus, nempe habendi in domo, et retinendi Aquam Benedictam his verbis: *Qui voluerit, in Vasculis suis accipiat ex ipsa Aqua, et per mansiones, et agros, et vineas, super pecora quoque, atque super pabula eorum, necnon super cibum, et potum suum aspergat.* Convocatum fuit hoc Concilium circa annum 890.

48 49 In quorum usibus consuevere etiam prisca Fideles adhibere Aquam Baptismalem prius quam Sacrum Crisma illi infunderetur; ut in *Can. In Sabb. de consecr. dist. 4.* et legitur in Capitularibus Caroli Magni, Ludovici, et Lotharii Imperatorum, *l. 6. c. 77.* ut infra: *In Sabbato Sancto Paschae, vel Pentecostes, si quis velit Aquam consecratam ad aspersionem in domo sua recipere, ante chrismatis infusionem recipiat.*

50 51 52 In privatis domibus servabatur Aqua Benedicta, usque ab anno 57. ut refert Baronius ad illum Annum. Quae Aqua in domibus posita, debet saepe renovari, ne putrescat, et immunda fiat. Hac enim Fideles debent uti saepissime, ob maximas, in innumeras virtutes, ad fugandos, et prosternendos Daemones, et ut proximi sanctiores fiant; ita jubente Nicaeno Concilio, ut dum invisitur aeger, tam ipse, quam cubiculum, in quo degit, expientur Aqua lustrali, a qua Veneficia, et Incantationes magicae dissolvuntur, aliaeque Diaboli artes averuntur, Aulsius *Inst. adjuvan. morien. cap. 7.* Atque ideo in promptu esse debet in quacumque Fidelium aede, et praesertim ad cubile cujuscumque, in Vase mundo, et decenter collocato: quod inservit etiam ad evitandum incommodum Sacerdotibus, seu Parochis, lustralem aquam secum deferendi, quocumque tempore se ad illas domos conferunt, vel ad visitandos Infirmos, vel ad ministrandum Sanctissimum Viaticum, vel ad aliud Parochiale munus exercendum.

53 54 Quaerendum hic ultimo remanet cum Sarnellio, *loc. citat.* Quare, cum Aqua benedicta sit Sacramentale, eo pacto, quo Sacramentalia sunt Olea Sacra: haec rigorose, et sub clave custodire teneatur Parochus; Aqua vero benedicta omnibus eam sumere volentibus pateat? Cui instantiae respondet: Olea servari sub rigorosa custodia, eo quia illis abuti possunt Malefici ad maleficia perpetranda: Aqua vero benedicta cum quaecumque maleficia dissolvat, exponi debet publicae commoditati. Sed ratio haec difficultatem non solvit; nam et maleficia multa ex Aqua benedicta confici possunt, ut notum est. Dicerem itaque rigorose custodiri etiam Aquam consecratam pro Baptismo, quia solemniori ritu, et Olei infusione dicata est, non vero illam Benedictione minus solemniter benedictam, quia haec non proprie ad Baptismum inservit, sed tunc tantummodo, quando Aqua e Sacro Fonte haberi nequeat.

BENEDICTIO CANDELARUM

EXTRA DIEM PURIFICATIONIS BEATAE VIRGINIS MARIAE.

TITULUS VICESIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Duae Benedictiones Candelarum praescribuntur ab Ecclesia.
- 2 Prima in die Purificationis Beatae Mariae Virginis.
- 3 Ista inter functiones Parochiales enumeratur.
- 4 Secunda potest fieri quodcumque, et a quocumque Sacerdote.
- 5 Candelae benedictae ad quid valeant?
- 6 Candela benedicta habenda a Fidelibus ut accendatur in agone Mortis.
- 7 Utilitates aliae harum candelarum.
- 8 Debent esse ex cera.
- 9 Earum usus haberi debet in rebus honestis.
- 10 Possunt etiam inservire ad studendum.
- 11 Qui illis abuteretur, peccaret.

1 2 3 Candelarum Benedictiones duae ab Ecclesia praescribuntur; Una in die Purificationis Beatae Mariae Virginis, ut in Missali Romano habemus die 2. Februarii, ubi Gavant, p. 4. t. 14. eruditissime explicat quae necessaria sunt ad hunc Ritus explendum, et ad Processionem faciendam, de qua nos quoque verba faciemus tunc cum Rubricas ad Processiones spectantes, ejusque Titulos explicabimus: est enim una de Parochialibus functionibus, ut notat Barbosa, *de Pot Paroch.* p. 1. c. 8. n. 4.

4 Altera Benedictio Candelarum quodcumque, et ubique locorum, et a quocumque Sacerdote fieri potest, cum nec inter Parochialia munera adscribatur, nec facultas alicui circa hanc Benedictionem limitetur.

5 Valen hujusmodi Candelae benedictae contra fulgura, et tempestates, et contra malignorum spirituum incursiones, ut patet ex verbis Orationum, quae in tali Benedictione leguntur in Rituali, et Missali.

6 7 Praesertim in quacumque Fidelium domo utilis, nec non necessaria videtur haec Candela, ut accendatur coram morientibus in extremo agone, ad effugandos Daemones, pravas cogitationes repellendas, et Divinum auxilium impetrandum, necnon, et corporalem salutem, Quart. *de Bened.* n. 148. Quibus utilitatibus alias etiam superaddit Card. Valerius, *Thes. Piar. Institut.* p. 244. Valent enim ad sanitatem Animarum, et corporum, terra, marique; ut de locis ubi accensi fuerint isti Cerei, Daemon, et quidquid Daemonis ars est machinata, depellatur; ut mentes, et corda nostra invisibili igne, et splendore Sancti Spiritus illustrentur, omniumque peccatorum, et vitiorum caecitate careant; et cernere possimus quae Deo sunt placita, et utilia saluti, et demum ut ignis charitatis cum lumine Fidei in Animis nostris accendatur; qui nos ad lumen indeficiens in vitam aeternam deducant, etc.

8 9 10 Haec Candelae ex Cera esse debent, non vero ex alia materia, et eorum usus haberi in rebus honestis, et rei Sacrae convenientibus, et decentibus, ac etiam ad studendum inservire possunt, Quart. *d. n.* 66, n. 149.

11 Qui vero illis abuteretur, eas accendendo in convivis, et aliis similibus rebus profanis, peccaret saltem venialiter, secluso contemptu.

Alia dicemus de usu candelarum benedictarum in explicatio-
ne Tituli de Processione in die Festo Purificationis Beatae Mariae Virginis, Paragraph. 1.